

Universitiy of Leeds, Ripon_fragment_21:

[Transcription with abbreviations silently expanded by Andrea Mancini, University of Leeds, 16 May, 2023. The integrations in square brackets are taken from Patrologia Latina, 94, cols 104–105, and Cambridge, MS Peterhouse 130, 143r–145v]

[ra] Ille interius inspirando corrigat, atque ab errorum tenebris conversam ad agnitionem vere lucis excitet. Verum si ad primas rogantis ecclesie lacrimas dominus respondere, id est, postulatam errantibus sospitatem meritis dare distulerit, nec sic quidem a petendo, querendo, pulsando, desistendum, est: nec inpetrandi subeunda est desperatio, sed tanta potius perseverandum instantia, tam obstinato frequentandus clamore salvator, tantum etiam sanctorum eius inter letanias appetenda suffragia, donec et ipsi de celis domino pro audienda supplicant ecclesia. Sicque fit, ut si mentem ab intentione proposita non mutaverit, nequaquam fructu pie petitionis fraudetur sed sive pro sua fragilitate quis seu pro aliis intervenit desiderato potiatur effectu. Nam et si quis nostrum conscientiam habet avaritie elationis, vane glorie, indignationis iracundie, vel invidie, ceterorum ve vitiorum sorde pollutam, filiam profecto habet male a demonio vexatam. Pro cuius sanatione supplex ad Dominum currat, quia nimirum cogitationem suo corde progenitam, diabolica tolerat arte demendatam, cuius emendationem a pio conditore crebis immo continuis debeat flagitare lamentis ac precibus. Siquis bona que gessit forte perjurii, furti, blasphemie, detractionis, rixe, vel etiam corporalis immundi[iae] ceter[orum] huiusmodi peste [foedavit fili]am habet immundi [spiritus] furii agita[tam, q]uia vid[elicet] actionem quam be[ne] laborando ediderat iam diaboli [rb] fraudibus stulte serviendo disperdidit. Ideoque necesse est, talis ut reatum suum cognoverit, mox ad preces lacrimasque confugiat, sanctorum crebras intercessiones et auxilia querat, que pro anime eius salute rogantes dominum dicant. Precamur Domine miserator et misericors, paciens et multe miserationis, dimitte eam quia clamat post nos. Dimitte reatum et dona gratiam, quia nostrum intimo affectu querit pronus

suffragium. Necesse est, debita sub missus humilitate, non iam se ovium israeliticarum id, est, mundarum consortio dignum iudicet animarum, sed potius cani comparandum et celestibus indignum arbitretur esse muneribus. Nec tamen desperando a precandi quiescat instantia sed indubia invicem de largitoris summi bonitate confidat, qui de latrone confessorem, de persecutore apostolorum de publicano evangelistam, de lapidibus potuit facere filios israelis, ipse etiam canem inpudentissimum convertere israleiticam possit in ovem: cui merito donate castitatis etiam vite eterne pascua largiatur, id est, peccatore conversum a via sua mala iustum facere dignetur quem merito bone actionis ad regnum celeste predicat. Vidensque Dominus tantum nostre fidei ardorem, tam pertinacem orandi perseverantium tandem miserebitur et nobis quoque ire ut volumus fieri concedet, ut videlicet expulsis vitiosarum tumultibus cogitacionum, dimissis peccatorum nexibus et pura nobis serenitas mentis et perfectio boni redintegretur operis. Notandum interea quod hec orandi pertinacia ita solum meretur esse fructifera, si quod ore precamur hoc etiam mente meditemur neque alio clamore labiorum, quam cogitationum scindatur intuitus. Sunt enim qui intrantes ecclesiam multius psalmodiam, vel orationem sermonibus prolongant, sed alibi corde indendendo, nec ipsi quid dicat recolunt, ore quidem orantes, sed mentem foris vagantem omni oracionis fructu pricantes, putantes a deo precem exaudiri, quam nec ipsi qui fundunt audiunt, quod antiqui hostis instinctu fieri [nemo est] qui animadvertere nequeat. Sciens enim utilitatem orandi, et invidens hominibus gratiam impetrandi immittit [hominibus multimoda cogitationum levium et] aliquando et[iam turpium] nocentiumque fantasmata quibus [oratio]nem impedia[t adeo ut nonnumquam] tales [tantesque] discurrentium cogitationum fluctus prostrati in oratione toleremus, quales [nec in lecto resupini] iacentes tolerare noverimus. [Unde] necesse est, fratres charissimi, [ut agnitam diaboli] curemus superare malitiam[; et ipsi videlicet animum ab huiusmodi nebulis quas hostis aspergere gaudet, in quantum possumus serenando, et pii defensoris perpetuum

flagitando praesidium, qui potens est quamvis indignis precatoribus et pure orandi et perfecte impetrandi concedere gratiam. Multum autem iuvat orationis purita]tem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus [**vb**] illicitis, si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus et linguam, si in lege Domini ambulare, et testimonia eius [assue]scamus toto corde [s]crutari. Quecumque enim sepius ager[e] loqui vel audire solemus, eadem necesse est sepius ad animum quasi solitam propriamque recurrent ad sedem. Et sicut volutabra sues palustria columbe, [*l*]impida solent frequentare fluenta, ita cogitationes impure mentem immundam perturbam, castam spirituales sanctificant. Sane si ad exemplum cananee mulieris in orando perstamus, fixeque manemus, aderit gratia conditoris nostri, que cuncta in nobis errata corrigat, immunda sanctificet, turbulentia serenet. Fidelis namque et iustus est, ut remittat [nobis pe]ccata nostra, et mundet nos ab omni iniquita[te, si] ad illum sedula mentis voce clamemus, qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritu sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Dominica tertia in quadragesima. Sermo beati Iohannis de Ioseph. Mittitur a Iacob patre sanctissimo Ioseph sanctus ad fratres, qui salutem patris ad illos et ipsorum ad patrem afferet, ut inter absentes [medius utriusque salutis nuntius] exti[tisset et quod] de semetipsis [absentes] scire [non poterant, Ioseph referente,] cognoscerent et disiunctos huius relat]io iun[geret quos locorum diversitas] separabat. Quem cum venientem de longe conspicerent: ecce, inquiunt, ecce somniator ille, venite itaque, occidamus eum et] videamus quid portendant illi s